

4850

2

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
*De*  
**HONORARIO**  
**ADVOCATORUM,**

*Quam*  
 Adjuvante Divinâ Gratiâ  
 AUTORITATE & DECRETO  
*Magnifici, Nobilissimi, Consultissimi*  
*JCTorum Ordinis,*  
 In Illustri Christian-Albertina,  
 PRÆSIDE

**DN. BERNHARDO Schultzen/**

Jcto, ProCancellario & Antecessore primario,  
 Facultatis Juridicæ p. t. Decano,  
 Domino Patrono suo ætatem colendo,

**PRO LICENTIA**

*Summos in utroque Jure Honores &*  
*Doctoralia Privilegiarite ac solenniter consequendi,*  
 Publicæ Doctorum disquisitioni  
 submittit

**JOHANNES HENRICUS GOET-**  
**TELIUS, Zittav. Lusat.**

die 10. Septembr. Anno M DC LXXXV.

*In Auditorio Majori, horis ante & pomeridianis.*

KILONI, Literis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.

**Process.**  
 SA 27, 16

*H. L. 1. 603.*

*Per Illustri ac Generosissimo*

*Domino*

**DN. GOTHOFREDO  
EDELSTEIN,**

Baroni de Hoberg,  
Krapæ & Haaræ Dynastæ,  
Sacrae Cæsareæ M<sup>tis</sup>

&

Serenissimi Electoris Brandenburgici  
Consiliario Intimo,

nec non

Serenissimi Landgravii Hassiaci  
ad foederatos Belgas

Legato,

Domino meo Gratosissimo

D. D. C.

Johannes Henricus Goettelius,  
Zitt. Lusat.



I. N. D. N. J. C.

**L**eo & Anthemius Impp. Advocatos hoc e-  
logio ornarunt : Esse ipsos, qui in rebus  
sæpe publicis ac privatis lapsa erigunt, fati-  
gata reparant, neque minus provident humano  
generi, quam si præliis atque vulneribus patriam  
parentesque salvarent. Nec enim solos nostro  
imperio militare credimus eos, dicunt, qui gladi-  
is, clypeis, & thoracibus nituntur, sed etiam Advo-  
catos; militant namque causarum patroni, qui  
gloriosæ vocis<sup>h</sup> confisi munimine laborantium  
Spem, vitam & posteros defendunt. *L. 14. C. de  
Advocat. divers. judic. Carpz. de Asylo debitor.  
August. Barbos. in Collectan. ad dict. l. 14. § l. 4.  
n. 6. C. de Advocat. divers. judic. Gail. lib. 1. Obs.  
43. n. 3.* Ut vero eam utilitatem publice privatim-  
que Advocati præstare possint, Jurisprudencia  
in iis exigit juris scientiam, fidem & industriam  
*l. II. §. 1. verbo. juris peritos C. d. t. Literarum  
eruditionem l. 2. C. eod. facundiam l. 7. pr. l. de  
Advocat. divers. judic. Inq; Ordin. Cam. Imp. part. 1.*

*tit. 18.* constituitur; Recipi non alios, quam quorum eruditio, virtus, legitima nativitas, vitæ & morum honestas, bona fama, religio sit cognita, *Guilb. Roding. Pandect. Camer. lib. 4. tit. 5. Mevius part. 1. Dec. 189. n. 6.* Sed plerique nobili hoc officio, ac laudabili nomine abutuntur, munusque Advocationis, plus ad subversionem veritatis, & litigiorum augmentum, quàm ad lucidationem justitiæ, & litium diremptionem exercent. *Vent. de Valent. in Parth. litigos. lib. 2. c. 7. n. 30. Carpz. Jurispr. Consist. lib. def. 265. n. 2. & seqq.* De quibus verè dicitur, ubi Advocatorum turba strepit, ibi litium anfractibus tota civitas ardebit, nec domus aliqua à litigio vacabit. Hoc ipsum videtur causam dedisse Constitutioni Frieder. III. in vectivæ in Doctores juris & Advocatos, de excludendis illis, tam a privatis judiciis, quàm publicis consiliis, quæ habetur in *Reformat. Imper. de Anno 1441. art. 5. Item in declarat. 2. huius artic. 5. apud Melch. Goldast. tom. 1. der Reichs Saugungen p. 167 & 171.* Sed hæc constitutio Friderici III. est nimium rigorosa & à recto tramite recedens, adeoque, ut plurimæ ejusdem Sanctiones aliæ, nec à Statibus approbata, nec in imperio recepta.

5

cepta. *Limn. de Iur. publ. libr. 4. c. 8. n. 18. Vid.*  
*Dn. Conring. de Orig. Iur. German. cap. 33.* Pro-  
pter malitiam enim quorundam mancipiorum  
Diabolicorum, avaritiamque impiorum Rabula-  
rum, canum rabidorum & populi devoratorum,  
detestandam, laudi Advocatorum Nobilium, pio-  
rumque Doctorum Encomio nihil detrahendum,  
nec ingenti horum utilitati & commodo Respu-  
blica privanda vel defraudanda. Quin potius ho-  
rum conatus toti imperio proficui & utiles pro-  
movendi, privilegiisque ipsorum personæ con-  
decorandæ. Ex quo generis nobilitas Advoca-  
tis tribuitur, *Andr. Tyraquel. de nobilit. c. 26. d.*  
*n. 11. § 12.* ut & immunitas ab onere Collecta-  
rum. Atque inde Advocatis pro labore debetur  
Salarium etiam ex officio Judicis, licet de hoc  
non fuerit conventum *Carpz. lib. 3. tit. 1. Respons.*  
*Elect. 1. Mart. Mager à Schönberg. de Advocat.*  
*armat. c. 14. n. 206.* Cum vero hæc materia Ho-  
norarorium Advocatis debitorum magnam in se  
contineat utilitatem, operæ pretium esse duxi, il-  
lam pro viribus mei iudicii, qua potero brevitate  
pertractare, & pro consequendis Honoribus Do-  
ctoralibus publico examini proponere.

A 3

Th. I.

## Th. I.

Honorarii vocabulum ab honore originem ducit, & ex eo dicitur, quod olim honoris gratiâ Consulibus in provinciis viventibus, non tamen tanquam debitum dabatur: sic & jus Prætorium Honorarium vocatur, quod a Prætoribus honorem gerentibus conditum *l. 7. in fin. ff. de Iustit. & Iur. l. 2. §. 10. ff. d. O. l.* Hinc postmodum illud vocabulum ad Advocatos eorumque labores translatum est: Dicitur aliàs Palmarium *l. 1. §. 12. ff. de extraord. cognit. ut & Salarium.* Quæ vocabula tanquam honestissima præ vocabulo mercedis usurpare malunt *Dd. Hieron. Magon. decis. florent. 12. n. 2. Roland. de Commissar. part. 1. lib. 7. c. 7.*

## Th. II.

Describi potest hoc Honorarium, quod sit præmium aliquod, pro fideliter præstita Patrocini opera, Advocato à cliente persolvendum. *Reneman. Jurispr. Rom Germ. de Iudicio. Disp. 5. n. 34.* Dicitur præmium, non merces, quia hæc vocabula Honorarium, Salarium, à mercede distinguuntur,  
 ut

7  
ut Honorarium dicatur, quando labor circa hono-  
rifica & nobiliora versatur: quando vero circa vi-  
lia occupatur, tunc merces laboris proprie dici-  
tur: *Roland. dict. c. 7. n. 4. Vinn. ad Instit. tit. de  
locat. & conduct. in pr. & tit. de Mand. §. 13. ad ver-  
ba mercede constituta.* Hanc descriptionem per  
quatuor causarum genera accuratius explanabo.

### Th. III.

Ante omnia præmitto quæstionē an Honora-  
riū pro labore advocationis honeste & salvâ con-  
sciētiâ Advocatus petere possit? Rationes pro nega-  
tiva sunt. (1.) quod accipiens pecuniā pro eo, quod  
quis gratis & sine solutione mercedis facere tene-  
tur, turpiter agat. *Vincent. Corat. tr. Locat. Con-  
duct. part. 1. tit. de testib. cogend. quæst. 6. n. 21.  
Anton. Capitz. dec. 95. n. 2.* quod vero Advocati pa-  
trocinium clienti gratis & sine ullius pretii com-  
pensatione præstare teneantur, ex eo probatur,  
quod patrocinium ex officio atque amicitia origi-  
nem trahat, cui contraria est merces. *l. 1. §. ult. l.  
3. 6. §. 1. ff. Mand.* (2.) Quemadmodum tuto-  
ribus Salarium pro tutelæ administratione non de-  
betur, sed ii gratis pupillos suos tueri debent:  
*Guid.*

*Guid. Papa. Decis. 68. Franc. Virvius. lib. 1. Dec. 40. n. 4.* eo quod tutoris officium sit gratuitum, sic etiam Advocati officium gratuitum esse, nec Salarium deberi, statuendum videtur. (3.) *Florentinus l. 3. ff. de l. & l.* docet, naturam cognationem quandam inter homines constituisse, propter quam unusquisque alteri in necessitatibus subvenire tenetur. Eodemque pertinet *l. 7. ff. de Serv. Exportand.* cum similibus, quibus dicitur, hominis cujusvis interesse, hominem beneficio affici: quæ profecto est aurea sententia, & nunquam satis laudari potest: *Brunnem. ad d. l. 7. n. 3.* His non obstantibus certum est, Advocatos salva conscientia Salarium petere posse. (1.) Quia in genere omni laboranti certa merces statuitur: Unde bovi trituranti os obdurare sacræ prohibent litteræ *Deuter. c. 2. v. 4. 1. ad Corintb. c. 9. v. 9. Iure Canon. c. 16. & 30. de præbend. & dignitatib. Roland. de Commissar. part. 1. lib. 7. c. 7. n. 8. & seqq.* (2.) Est notissimi juris, quod pactum judicialis Advocati cum cliente valeat, si certæ quantitatis Salarium loco solvendi fiat *arg. l. 1. pr. C. de Suffrag. Gail. lib. 2. obs. 54. n. 2. Martin. Mager. à Schönberg. de Advocat. armat. c. 14. n. 203. & seq.* (3.) Sic etiam  
 Pro-



Protectores, Advocati armati, salvâ & illæsâ conscientiam pro defensione clientum salarium recipiunt: *arg. l. 9. §. 1. ff. quod met. caus. Thom. Meckelbach. in Consil. Klocken. tom. 1. Cons. 37. n. 34. Menoch. Cons. 29. n. 34. Brunnem. addict. l. 9. n. 7.* Cum autem quoad Honorarii præstationem Advocati togati & armati æquiparantur, sequitur etiam, conventionem judicialis Advocati cum cliente de solvendo salario valere, *Martin. Mager. à Schönberg. dict. c. 14. n. 207.* Nec obstant contraria argum. Ad (1.) respondetur, quòd quidem mandatū originem ex officio & amicitia habeat, ac proinde nisi gratuitum nullum sit, alioqui videretur mandataris beneficium cauponari: Sed gratiam referre amicitiae bene convenit, gratuitamque operam remunerare; nec mandatum esse desinit, si remunerandi causa honor. intervenerit. *l. 6. pr. ff. mandat.* Ubi Jctus figurate honorem appellat, pecuniam remunerandi sive honorandi causa datam, vel promissam; passim Honorarium & Salarium nominatur *l. 56. §. penult ff. Mandat. l. 17. C. eod. l. 1. in fi. pr. ff. si mensor fals. mod. dix. l. 1. §. 12. ff. de Variis & extraor. d. cognit.* (2) Objectio tantum abest, ut nobis quicquam negotii facessat, ut poti-

B

us

ius confirmare nostram sententiam videatur. Licet enim tutoris officium naturâ suâ sit gratuitum, tamen non raro tutelam administranti, ex justa causa, & in recompensationem laboris sui certum Salarium a iudice constituitur *l. 33. §. fin. ibique Gotbofr. ff. de Administr. & peric. tutor.* Ut puta si hæreditas pupilli sit ampla, & in locis diversis, administratione egeat, multumque laboris requirat. *Christoph. Zobel. different. Iuris Civil. & Saxon. part. 2. differ. II. n. 5. Cavalcan. in tract. tutor & curator. n. 320. Martin. Mager à Schönberg dict. c. 14. n. 275. & seqq. Finkeltbaus. observat. 62. n. 25.* qui ad executores testamenti hoc extendit, & ad Advocatos refert. *Berl. part. 1. decis. 134. Bumnem. ad. d. l. 33.* Ad (3.) quod dicta *l. 3.* non de alterius necessaria defensione sed de insidiis ab alio alteri parandis & struendis loquatur, hominẽ scilicet homini insidiari nefas esse, eo quòd inter illos natura cognationem constituerit, ideoq; se invicem diligere debere, sic itidẽ *in. d. l. 7.* dicitur neminem per leges obstringi, alteri benefacere, sed male agere prohiberi. Dd. quos refert. *Martin. Mager à Schönberg. d. c. 14. n. 255.*

Th. IV.

## Th. IV.

Causa efficiens Honorarii alia est remota, alia proxima. Illa est Lex l. 1. §. 12. ff. de Extraord. cognit. & consuetudo loci, Gothofr. tract. de Salar. c. 2. tb. 14. lit. b. Non enim ignotum est, longam consuetudinem, rationabilitate, consensu principis tacito, actuum frequentiam, & diuturnitate temporum corroboratam, legis vicem obtinere, ejusque vim habere l. 38 ff. de LL. cum toleranda sint, quæ longa comprobata consuetudo l. 13. §. 1. in fin. ff. de Pollicitat. Merivius part. 2. Dec. 378. Carpz. l. F. R. S. part. 2. c. 16. d. 7. n. 3. 4. Et Salarium tacite, ex consuetudine intelligitur constitutum Cardinal. Mantica de tacit. & ambig. Convent. lib. 3. tb. 9 n. 4.

## Th. V.

Lata quidem apud Romanos antiquitus Lex Cincia, quæ Advocati causas gratis orare jubebantur, prohibebanturque ob eas orandas accipere donum, Tacit. lib. 11. Annal. ubi ita. *consurgunt patres, legemque Cinciam fatigant, qua cavetur antiquitus, ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat.* Verum sensus legis non ad causam jam oratam, sed orandam adhuc respiciebat,

teste *Plin. lib. 5. epist. ult. Peractis*, dicit, tamen negotiis permittebatur, pecuniam duntaxat decem millium (seu centum aureorū) dare. Lex autem dicta Cincia diu jam in desuetudinem abiit *Gothofr. tr. de Salar. c. 7. th. 5. lit. d. Martin. Mager. à Schönberg. de Advocat. armat. c. 14. n. 204. Carpz. lib. 3. tit. 1. Resp. 1. n. 16.* & ne Clientes graviolem Honorarii summam Advocatis teneantur solvere, modus in quantitate centum aureorum primum à Claudio Imperatore positus est, *Cujac. 6. Obs. 18.* Vide quoq; *Gothofr. c. l. qui etiam tempore Justiniani sufficiens confirmatus l. 1. §. 12. ff. de variis & extraord. cognit.*

## Th. VI.

Magistratus quoque dici potest causa efficiens remota, quippe qui nonnunquam etiam constituit Honorarium, si nihil inter Advocatum & Clientem conventum sit, *l. 1. §. 10. ff. d. t. Nemi enim officium suum esse debet damnosum l. 7. testam. quem adm. aperiant.* cui accedit, quòd plerumque unicuique sua ars & industria soleat esse pro viatico, unde se suosque exhibere possit *Gothofred. c. l. c. 1. th. 1. Carpz. lib. 3. Respon. Elect. tit. 1. Resp. 1. n. 13. Martin, Mager à Schönberg. Dict.*

*dict.* 14. n. 206. Fallit tamen modo proposita regula, in patrocinio pauperibus præstando, de quibus infra.

Th. VII.

Causa efficiens proxima, est conventio inter Advocatum & Clientem, h. e, vel stipulatio vel pactum *l. 1. §. 12. ff. d. Extraord. cognit.* quod vel licitum est, vel illicitum. Hoc quam maximè respicit immodicum & immoderatum Honorarium supra modum civilem & consuetum in conventionem deductum. Hinc dicitur de Advocato, quòd non debeat recipere excessivum Salarium, quia recipiendo tenetur ad restitutionem, & peccat mortaliter *Ruland. Commisar. part. 1. lib. 7. c. 7. adde Gotbofr. de Salar. c. 7. th. 3. lit. a.* Imo *Novella 82. c. 7.* sancitum esse docet, non licere jus dicentibus, majores sportulas & Salaria exigere, quam Lex & Princeps statuatur. Inde secus facientes Repetundarum crimine teneri Claudius, teste *Tacit. lib. II. Annal.* duplos fructus restituere, advocatione interdici *l. 6. §. ult. ff. Mandat.* voluit antiqua jurisprudentia. Addenda omnino *l. 5. C. de postul.* quâ Imperator Constantinus *dict. l. 6. ff. mandat.* confirmat, disponitq; ut omnes,

B 3

qui

qui in hujusmodi sævitate permanserint, à Professione Advocati penitus arceantur.

## Th IIX.

Accedit pactum de quota litis, vel habendo rem, de quâ litigatur, aut illius partem pro patrocinio; quod in jure Advocato minimè licitum habetur, sed talis conventio, tanquam contra bonos mores facta, legibus in totum improbatur. *l. 5. C. de postul. & paciscentes ab officio removentur. Blod. de in lit. jurando §. 16. n. 8. v. & privantur ipso iure. Virgil. Boccac. in tr. de pactis part. 3. sub n. 60.* quia alienæ litis redemptio spe lucri ex victoria consequendi proposita, invitatur ad delinquendum, ita *Sotus d. Iust. lib. 5. quest. 9. art. 4. v. unum autem.* unde idem procuratori prohibitum *l. 15. C. de Procurat. l. 6. §. ult. l. 7. ff. mandat. l. 20. C. eod. l. 53. ff. de pact. c. 3. q. 7. c. 2. Infames. §. arcentur. Vinn. partition. juris lib. 3. c. 19 §. 527. Bacch. in prim. part. Pandect. p. 610. Guid. Pap. Decis. 102. n. 1 2. Cavalcan. Decis. 45. n. 43. Gail. lib. 1. obs. 44. n. 1. Carpz. lib. 3. tit. 1. Resp. 1. n. 14.* Et hæc Causidicorum pactio, *Quintil. lib. 12. de clamat. c. 7.* Piratica, h. e. rapina & deprædatio clientis eleganter vocatur. *Pa-*  
*ciscen-*

ciscendi, inquit, Piraticus ille mos, & imponentium  
 periculis pretia procul abominandus. & in Cod.  
 Theodos. l. 1. C. de postul. Consecrata pactio appel-  
 latur. Spekb. quest. juris cent. 2. Clas. 4. quest. 45.  
 Bernb. Græv. lib. 1. concl. pract. Imper. 44. Mar-  
 quard. Freber. de Æstimat. lib. 3. c. 13. n. 2. Unde  
 etiam Advocati antequam in Camerâ Imperiali  
 recipiantur, hoc pactum expresse abjurare, tenen-  
 tur, Daß sie mit den Partheyen keinerley Vor-  
 geding oder Vorgriff ein Theil von der Sachen /  
 deren sie advocaten seyn zu warten / oder zu war-  
 ten machen Ord. Cam. Imp. p. 1. tit. 63. der Advoca-  
 ten End. Hujusmodi pactum de quotâ litiis nec  
 juramento clientis confirmatur *Cesar. Ursill. ad  
 Afflict. Decis. 123. n. 6.* ubi testatur, in Consilio  
 Negapolitano ita bis suis temporibus judicatum  
 esse: *Virgil. Boccac. in tract. de pact. part. 3. n. 60.  
 cum seqq. Græv. dict. Concl. 44. n. 26. Farinac. in  
 prax. crimin. quest. 106. n. 22.* Et illa pactio de quo-  
 tâ litiis in Legibus ita est odiosa, ut nec fisco lici-  
 tum sit, de quotâ litis cum parte pacisci. *M. An-  
 ton. Peregr. de lure fisci lib. 4. c. 7. n. 17. Græv. dict. concl.  
 44. n. 28.* Nec pactum de minimâ etiam quotâ li-  
 tis valet, *Plot. de in lit. jurand. §. 16. n. 9. Horat.  
 Carpan.*

*Carpan. in Comment. ad Statuta Mediolanens. c. 429. lit. g. in princ. Barbosa in Collect. Cod. ad L. 5. n. 18. C. de postul.*

## Th. IX.

Illicita quoque est conventio Advocati, qui cum ab initio de certo Salario pactus sit. deinde tamen lite pendente uberiores paciscatur summam *Gothofr. d. tr. c. 5. th. 8. Sibi enim inquit impu- tet advocatus, quod nesciverit, litis aestimare magnitudinem, imo ne crescente periculo cliens, pro l- bitu advocati, quidquid petat, solvat.* Huc etiam re- ferri possunt omnes contractus, & pacta, inter cli- entem, & Advocatum, quæ lite jam pendente inter eos contrahuntur, imo nec Honorarium ipsum constitui vult hoc casu *Græv. lib. 1. concl. 44. n. 22. Omnia enim, inquit, daturus presumitur cliens, ne in causa cœpta deseratur.*

## Th. X.

Licitum pactum, uti ex illicito elucescit, est, quod neque summam centum aureorum excedit, neque lite jam pendente initum, neque de quota litis contractum est. Huc pertinet etiam Palma- rium, quippe quod in casum victoriæ promissum,  
non



non solvitur nisi obtentâ victoriâ, ubi tamen distinguunt, an ante revelationem secretorum causæ clientis, an lite jam pendente fuerit promissum; Illud ut licitum affirmant, hoc ex rationibus supra adductis pro illicito habent. *vid. Disput. Inaugural. Henrici Bactmeisters sub Præsidio Consultissimi Lauterbachii de palmario Advocat. tb. 30.*

## Th. XI.

Subjectum constituunt vel clientes, in quibus est obligatio ad præstandum Honorarium, vel Advocati, quibus pro præstito Patrocinio Honorarium debetur *l. 1. §. 12. ff. de Extraord. cognit.* Et his in jure nostro varia accommodantur nomina, vocantur enim patroni *l. 1. §. 4. ff. de postul. l. 4. l. 6. c. eod. l. 1. l. 5. l. 14. c. de Advoc. diversor. judic. Causidici l. 2. c. de Advocat. diversor. judic. l. 6. in pr. c. de postuland. David Döring. Bibliothec. Actor. verb. Advocatus p. 776. & seq. Oratores Rhetores & togati &c. vid. *t. t. c. de Advoc. divers. judicior. & l. 1. §. 11. ff. de Extraord. cognit.* Est vero Advocatus ab Advocando dictus, quasi ab aliis advocetur, qui in jure judiciove sive orando, sive consilia suggerendo, sive alio modo, operam tribuit *Umm. disp. 2. tb. 4.**

## C

## Th. XII.

## Th. XII.

Advocatus autē & Rabula forensis maximē differunt, Advocatus Juris scientiā est instructus, debitā modestiā, aliisque necessariis virtutibus officio suo fungitur. Rabula forensis, non Juris peritus, sed Juris perditus, non Jctus, sed Juris sycophanta, qui nomen ac titulum Justitiæ, quo visum ipsi est, inflectit, detorquet, non nisi sordidam, meritoria & veluti prostantis vocis alterationem fovet, Sacculariam styli illius mercenarii operam profitetur, ac per id honestissimæ Professioni labem turpissimam flagitiosè aspergit. Dignus profectò, qui procul ab agro & finibus Jurisprudentiæ profligetur & exterminetur *carpov. in præfat. ad Lect. Respons. Jur. Elect.*

## Th. XIII.

Advocati prudentes sua habent privilegia, quòd filius fami. Advocatus quicquid acquirat, quasi castrensis peculii loco habeat, & post mortem patris, non teneatur id conferre cum fratribus *Clem. Ascan. de patr. potest. Effect. 2. n. 6. effect. 9. n. 2. cum seqq. Iohan. Anton. Mangil. de Imputation. quæst. 29. n. 27. Anton. Sap. de Iure non scripto lib. 3. c. 105. n. 4.* Unde in testando de  
tali

tali lucro, vel salario, Advocati militari potiuntur Privilegio, ac post pupillarem ætatem in eo substituere possunt. *Barbosa collect. ad l. 8. c. de Advocat. diversor. Iudicior.* omnique munere personali exempti sunt, nec ullo collectarum onere gravandi censentur, imò privilegiis consulendi arbitrandi & judicandi gaudent *Perez. in Comm. ad tit. C. de Advocat. decret. iudic. n. 4. Carpz. lib. 3. tit. 1. Respons. 1. n. 11.*

## Th. XIV.

Cientes pro labore & industriâ Advocatis Honorarium solvere tenentur, pauperibus vero Advocatis gratis inservire debent, qui in rebus publicis bene constitutis, certum sibi inde Salarium constitutum habent, ut gratis Pauperibus patrocinentur *Sammergerichts Ord. pr. tit. 19. §. ult. verb. daß auch niemand Armuths halber &c. §. tit. 41. Dn. Tabor. de suffrag. pericop. 4. §. 21. Vid. Berlich. part. 1. concl. 7. n. 72. & seqq. ubi dicit, hoc observari etiam in Parlamento Parisiensi, ut & in curia Parlamenti Delphin, per allegatos ibi Autores, quibus ad stipulatur Carpz. l. F. R. S. part. 1. const. 1. def. 25. & hoc in casu, ubi de salario publico sunt certi, cogi possunt Advocati gratis pauperibus*

inservire. *Berl. dict. concl. 7. n. 75.* Ita ut si nolint illis patrocinari, non solum pœnâ pecuniariâ, sed etiam privationis officii plecti possint *Döring. in Biblioth. Ictor. in verbo Advocatus. Mynsing. cent. 4. obs. 32. Gail. lib. 1. obs. 43. n. 12.* nisi habeant justam excusationis causam, quæ secundum *Gail. & Mynsing.* admittitur; *Mevius part. 3. dec. 200. n. 1. & 2.* Hæc etiam procedunt in illis, qui propter potentiam adversarii Advocatum invenire nequeunt. *Berl. d. l. n. 77. Gail. lib. 1. dict. obs. 43. n. 1. Döring. n. 177.* Ut & in Doctore juris, qui itidē compelli potest pauperibus gratis inservire *Covarruv. pract. quest. 6. n. 4.* Porro in iudicibus, ut gratis justitiam pauperibus administrent, & commissariis, ut gratis testes examinent *Gail. d. Obs. 43. n. 16. qui n. 18.* dicit, illa esse intelligenda de pauperibus extremâ paupertate laborantibus, & qui juramentum paupertatis in Camera præstiterunt *Vid. Carpz. I. F. R. S. part. 1. const. 23. def. 14. Dn. Richter in tract. de significatu Adverb. lit. Gratis p. 306. seq.*

#### Th. XV.

Objectum sive materia consistit præcipuè in pecunia, *arg. l. 1. §. 12. ff. de Extraord. cognit.* licet pro Honorario nonnunquam dentur etiam aliæ

res

res vel uti aurum, argentum fructus &c. *arg. l. 25. §. ff. locati*, res immobiles, *l. un. C. de 6. suffragi.* ubi tamen aliqua notatur differentia, mobiles nimirum res pro Honoratio datæ solâ traditione transferuntur in Dominium Advocati, immobiles autem accedente traditioni scripturâ *Speculat. tit. de Salar. Advocat. n. 18. Gothofr. de salar. c. 2. tb. 3. Brunnem. in Cod. tit. de suffr. Perez. in tit. C. de suffragio.* ubi addit rationem, *quòd rei immobilis æstimatio & affectio major sit.* Non ineptè hîc quæritur, utrum quoq; possint nomina & actiones loco Honorarii Advocatis dari, quippe quæ regulariter nec mobiles sunt, nec immobiles? Verum facilis est responsio affirmativa, si attendamus quæ in praxi observentur, habentur enim ibi vel pro rebus immobilibus, vel pro mobilibus, prout nimirum iis adhærent *test. Grav. lib. 2. Concl. H. Considerat. 5. Gail. lib. 2. observ. II n. 10.* ita dicit, *verior est eorum opinio, quam etiam Camera in casu quodam secuta est, actiones tum esse mobiles res, si ad mobilem, immobiles si ad immobilem competant.* Quapropter etiam nos statui-  
mus, nomina & actiones posse Honorarii loco dari, cûm permissum sit, ex rebus tam mobilibus, quàm immobilibus, Salarium solvere. Th.

## Th. XVI.

Nunc progrediar ad formam, quæ vel essentialis est, & Honorarium constituit præmium, quod pro patrocinio causæ in judicio principaliter debetur, vel accidentalis, ad quam potissimum pertinet quantitas Jure Civili. Hæc cum diversis temporibus diversa quoque fuerit, ultimam modò ejus summam, quæ centum fuit aureorum, lubet recensere *l. 1 §. 12. ff. d. var. & extraord. cognit.* Ubi tamen prudentis judicis arbitrium requiritur, qui in facundiam Advocati inquirat & forum, consuetudinem, modum litis, & judicii æstimationem, in quo sunt acturi, accuratissimè perpendit *dict. l. 1 §. 11.* Ita, ut perspectis his circumstantiis minor quidem, nunquam autem uberius centum aureorum summâ, Advocato adjudicaretur, ne sub specie laboris remunerandi turpi depectio- ne contra bonos mores clientes spolientur. *Gothofr. tract. de salar. c. 7. th. 1.* Quæ omnia hodie in usu sunt, respectu tamen habito ad unius cujusque Provinciæ, fori & curiæ singularem legem, consuetudinem, & taxationem; nec Advocato licitum est, pactionibus excedere quantitatem *Gothofr. d. l. Brunneinan. ad. l. 1. n. 4. 5.*  
*de*

*de'variis & extraordinariis' cognitionib.* Quod si vero de uberiore summâ pactus fuerit Advocatus, reliqua reddere debet, & à cliente repeti possunt per conditionē in debiti *l. 3. C. d. postulat. vid. Ordinat. Cam. Imp. p. l. tit. 46.* So sic aberichts von Partheyen genommen / oder empfangen hätten / daß sollen sie Ihnen widergeben.

## Th. XVII.

Ad formam accidentalem referri etiam potest tempus, quo vel promitti debeat honorarium, vel solvi. Et cum de promissione Salarii supra *tb. IX.* sit actum, quod nimirum ante litem contestatam sit promittendum, cum lite pendente omnes contractus, omniaque pacta inter litigatorem & Patronum sint illicita, ergo hoc prætermitto, & ad tempus respicio, quo promissum salarium sit exsolvendum. Verum quoniam hac de re non unam foveant Doctores sententiam, ante omnia, quid de Jure Civili dicendum sit, perlustrabo.

## Th. XVIII.

Et sic primo occurrit *l. 1. §. 12. ff. de extraord. cognit.* ibi *post causam actam*, ex quibus probari potest, non licere Advocato, sub initium statim solutionē Honorarii desiderare, cum tyran-

ni-

nidis speciem præ se ferre dicat. *Decian. de Apolog. c. 12. n. 157.* Nec lite pendente solutio totius salarii peti potest *l. 3. § 6. §. 2. C. d. postuland.* quamvis non invidiosum sit, si aliquid ad remunerandum ad interim detur, *arg. l. 38. §. 1. ff. Locat. l. 1. §. 13. ff. d. extraord. cognit.* Sed tempus legitimum Salarii, sive Honorarii solutionis de Jure Civil. est peractis negotiis *ff. l. 3. C. de post. post causam actam l. 1. §. 12. ff. de extraord. cognit.* Quam sententiam Cameram quoque Imp. approbasse refert *Mynsinger. cent. 3. observat. 7.*

#### Th. XIX.

Si autem de moribus nostris sermo erit, variæ sunt Doctorum opiniones. Quidam enim sub initium solvendum esse dixerunt, quibusdam medium litis placuit, cæteri denique post causam actam Honorarium solvendum statuunt. Quibus omnibus satisfactorius cum Ummio respondeo, attendendum esse id, quod conventum sit præprimis. Deinde, quæ fori consuetudo, quæque Advocati & Clientuli reperitur conditio. Ubi tamen non negligenda Gothofredi sententia, qui tract. de salariis *c. 12. t. b. 2. lit. D. in fine* ita dicit: *Quamquam magis sibi consulant Clientes, qui mercedulam*

*lam*



*lam aliquam in antecessum prorogant segnius alioquin facturo. Addendus omnino Menochius d. A. l. 2. c. 512. n. 20. erit, ibi: quia, fieri posset, quod salarium solvendum esset ei, qui vel negotium non perfecisset, vel malè administrasset.*

## Th. XX.

Aliud autem omnino est in annuo Advocati salario, quippe quod pro omnibus solvitur causis, quæ occurrere possunt per totam vel Clientis, vel Advocati vitam. Hoc enim cum non ex solâ operâ, sed etiam probitate ac scientiâ Advocati æstimeretur, licet minima pars patrocini collocata sit, sub initium cujusque anni peti potest. *Gail. lib. 1. Obs. 44. n. 12. Carpzov. I. F. R. S. P. 2. const. 51. defin. 12. n. 4. Ubi ita: Alia enim ratio est Advocatorum, quibus Salaria annua à Rep. vel à privatis constituta totius temporis debentur; quamvis bi multum ante tempus decesserint; quia scilicet non intuitu laborum mercedem; sed honorarium magis accipiunt. Nec interest, an Clientis, an Advocatus moriatur. Carpz. p. 1. Const. 1. defin. ult. Quod extenditur, licet à litigantibus transactum fuerit. Carpzov. lib. 3. tit. 1. Resp. 1. n. 17. 18. quoniam per eum non stetit, quo minus operas suas præstaret: Gail. c. l. 5*

D

l. I

*l. i. §. 13. ff. de extr. cognit.* Modo Advocatus non fuerit in morâ, quo minus suscepto patrocinio satisfecerit. *Ummius Process. Jur. disp. 2. n. 48. in fin.* & nisi specialiter sub conditione operarum fuerit promissum datumque *Gail. & Carpz. cit. loc.*

## Th, XXI.

Finis Honorarii alius remotus est, alius proximus, ille respectu Advocati in primis, ut operæ remunerentur & labores, nemini enim officium suum debet esse damnosum *l. 7. ff. testam. quem ad. aper* postmodum, ut haberent etiam Advocati, unde se suosque queant exhibere *Gothofred. d. salar. c. 1. th. 1. Grav. l. 1. conclus. 44. n. 4. ibi: maxime hiscè exulceratissimis seculis condigno sunt honestandi honorario, quando hodie non modo ingens in cœercendis tot librorum voluminibus insumenda veniat pecunia summa, sed etiam Advocatis nostris seculis labor gravissimus, si ex fide bonâ patrocinium præstare, ut tenentur, student, maneat.* Fuerunt equidem, qui honorem victoriæ pro parte Honorarii assumerunt, fuere etiam, qui majorem Honorarii summam, si deperdiderint causam, pacti sunt, uti patet ex *Martial. lib. 8. Epigramm. 17. ad Sextum ibi:*

Egi

*Egi, Sexte, tuam pactus duo millia causam  
misi nummos, quot mihi? mille. quid est?  
Narrasti nihil, inquis, & à te perdit a crusa est,  
Tanto plus debes, quod erubui.*

Adde *Specul. §. 3. n. 6. de Salar.* Verum ejusmodi pactum an in nostro valeat foro, non immerito dubitamus.

### Th. XXII.

Effectus Salarii potissimum cernitur in Actionibus, quæ pro consequendo Honorario competunt. Et quamvis *Ekholt. ad tit. ff. de var. & extraordin. cognit.* dicat, quòd nulla certè prodita sit actio, quæ peti possit, tamen non dubitamus, competere modo conditionem certi, modo incerti, prout res sive certa sive incerta promissa fuerit. Actionem itidem ex stipulatu, si, quod promissum est, in facto consistit, Actionem etiam in factum, ubi imploratur nobile officium judicis, si nullum salarium cautum sit: cùm actione destituti, queant implorare officium judicis, & cùm Jure civili in publicis operum salariis, non competat ordinaria actio, sed extraordinariè officium judicis *arg. l. 9. ff. de R. V. l. 1. §. 13. ff. de Extraord. cognit. Vid. Ruland. de Commissar. p. 1. lib. 7. c. 7.*

n. 22. seq. *Gothofr. cit. loc. c. 13. tb. 12. lit. g.*  
Th. XXIII.

An privilegiatum sit Honorarium quaeritur? Variant Dd hac in quaestione *Finkelth. obs. 98.* negat, *Græv. d. l. concl. 44. Consid. i. n. 6.* affirmat, quam sententiam quoq; *Ruland. tenet de commiss. p. 1. lib. 7. c. 7. n. 29.* ibi: *Notandum hoc salarium privilegiatum inter omnes creditores, & equiparari doti ac fisco, & habere tacitam hypothecam, à iure inductam, cum privilegio prelationis, quemadmodum fiscus & dos in plurimis casibus.* Cum *Mevio* autem statuendum *adlus Lubec. lib. 3. tit. 1. Art. II. n. 69.* puto, æquitatem & consuetudinem esse rationem pro hac sententiâ militantem, cum ipse modo allegatus *Ruland. c. l.* dicat, nullum in iure habere fundamentum, cum nulla lex sit, quæ tale privilegium det, sed ex solo favore studii, & publicâ auctoritate motos esse authores, quam in iure securam opinionem esse non putat, ubi privilegium debet esse expressum.

Th. XXIV.

Dividitur autem Honorarium; in Conventionale, cum Clientulus & Advocatus de certo Salario inter se convenerunt, puta, per stipulationem, imo per

per pactum citra solennitatem verborum, *l. 7. ff. Mand.* Non enim nudum hoc est pactum, quia aliqua subest causa *l. 15. ff. de prescript. verb.* In Legitimum, quod Lege corroboratur *l. 1. §. 12 ff. de extraord. cognit.* vel statuto vel consuetudine, quod tacitè constitutum dicit *Gotbofr. tr. de Sal. c. 2. th. 14. lit. d.* quamvis enim in legitimo non sit expressa honorarii summa, pro expressâ tamen habetur, cum legibus illa sit constituta. Et in Arbitrarium, quod procedit, si nihil inter Advocatum & Clientem conventum, quod officio judicis constituitur *l. 1. §. 11. ff. de var. & extraordinar. cognit. Mevius p. 3. Dec. 44. 45. p. 8. d. 131.* quod ultimum in Camerâ Imperiali, observatur, in quâ quisque per taxationem judicis & Assessorum arbitrarium quasi accipit Honorarium *vid. Ord. Cam. p. 1. art. 46.*

## Th. XXV.

Dividi etiam poterit in Honorarium strictè ita dictum, & Palmarium *l. 1. §. 12. ff. de Extr. cognit.* quod post obtentam victoriam Advocato à Cliente datur. Hoc quamvis sæpius sub Honorarii nomine complectatur, varias tamen ab illo differentias admittit, de quibus videatur disputa-

30

tio Inauguralis de Palmario Advocatorum,  
*Henric. Bacmeister.*

Th. XXVI.

Sic constitutionem & solutionem Honorarii explanavi, nunc considerabo paucis contraria, inter quæ primum locum obtinet Prævaricatio, crimen non leve sed magnum, cum Advocatus Secreta unius partis tanquam ipsi revelata alteri parti pandit & manifestat. *l. 1. ff. de prævaricat. l. 3 ff. de Crim. stellionat. Menoch. A. I. Q. lib. 2. c. 4. c. 323. n. 5.* qui etiam falsum committit: Quocumque autem modo conveniatur, ac de quocunq; crimine sive prævaricationis sive falsi fuerit convictus Advocatus, (1.) incurrit infamiam *l. 4. §. 3. ff. q. notant. infam.* (2.) Ab advocandi munere repellitur, Infamis enim ad postulandum in Judicio non admittendus *l. 5. ff. de prævaricat.* (3.) tenetur clienti ad damna, expensas & interesse. Et (4.) Extraordinem punitur *August. Barbos. in Collect. ad l. 1. C. de Advoc. divers. judicior. Carpz. part. 1. Dec. 91. § lib. 3. tit. 1. Respons. 3.* In Imperio Romano Advocatus vel Procurator damnum resarcire cogitur, sistendus in numellis, virgisque cæsus relegandus *Art. 115. Const. crim. Brunn. ad l. penult.*

*nult. ff. de Prævaricat. Vid. Dn. Struv. ad ff. dict.  
tit. th. 99. Richt. Decis. 85.*

Th. XXVII.

Denique præscriptio triginta vel 40 anno-  
rum Jure Civili omnes actiones personales &  
sic etiam petitionem Salarii sive Honorarii exclu-  
dit: *l. 3. 4. C. præscript. 30. annor. Mevius Consist.  
37. n. 9. Consf. 39. n. 56.* quæ etiam de annuis  
pensionibus ex re sua præstandis liberat, tam præ-  
teritis quàm futuris, utut ex contractu debitis. *Fri-  
der. Martin. de lure censuum c. 8. n. 149. seqq.  
Hieron. Schurff. Cent. 1. Consf. 10. n. 2. Mev. Consil.  
108. n. 149.* Hæc exceptio præscriptionis etiam non  
opposita à Judice est attendenda, nec sinè nulli-  
tate omitti potest *Mevius Const. 107. n. 59. & 60.*

Et hæc pro ratione Instituti de hac materia  
dicta sufficiant. DEO Ter Opt. Maximo, à quo  
omnia, per quem omnia, & in quo omnia  
sunt, sit Laus, Honor & Gloria  
in omnia Secula.



Corol.

## Corollaria.

I.

Legatum ad pias causas in usus profanos converti non debet. Potest verò legatum ad certam piam causam, eà deficiente in aliam & similem æquè piam erogari.

II.

Bonâ conscientia in iudicio litigare possunt Christiani, modò absit vindicta, & rancor animi.

III.

Non credendum nudæ assertioni mulieris stupratæ, quæ vi se compressam dicit, sed in veritatem stupri violenti à Magistratu est inquirendum.

IV.

Sponsa de stupro & fornicatione diffamata pro virgine habetur, usq; dum diffamans contrarium probet; imo nec propterea sponsus nuptias remorari potest.

V.

Dissolvi potest matrimonium, si uxor, quam maritus virginem esse credidit, ab alio corrupta, & gravida reperiatur.

VI.

Opus tamen pium & Christianum facit maritus, uxorem ab alio ante nuptias stupratam vel gravidam repertam, in matrimonio retinens: de quo admonendus, & recõciliatio in Consistoriis tentanda.

